

habendum, cum oppositus ei Spiritus malus sit aliqua Dei vis, quâ homines torqueantur, ut Saulem fuisse territum, haecenus audivimus. Conf. *Prücknerum in Vindict. ad 1. Sam. XVIII. 10.* Verum per omnem modum absit, ut adeo simus absurdi, ac Spiritum illum malum pro divinâ virtute venditemus. Quæ nostrâ sit sententia, à nobis §. XIII. & XIV. expositum est, innui nimirum heic ipsum Diabolum, alias enim si hæc à Socino notata vis esset in Deo, malum quoddam esset in summo Bono, & impulisset Deus Saulem ad eadem perpetranda, quod sanè citra summam blasphemiam dici non potest. *Prücknerus* loc. cit. Itaque si certum est, (est autem certissimum,) per Spiritum malum heic non intelligi virtutem, cessum etiam erit vi collectionis Sociniana, quod ei oppositus Spiritus S. non sit nuda virtus. Et quomodo ipsi non competeret personalitas? Persona alias est ὁφιστάμενον intelligens, Spiritum S. similiter tale ὁφιστάμενον esse, vel exinde probari potest, quod peccatis, quæ Saul commiserat, exacerbatus fuerit, ut ulterius cum ipso esse gratioasă suâ præsentia recusarit. Jam verò Quic, peccatis ab homine impio commissis exacerbatur, ille est ὁφιστάμενον intelligens, Atqui Spiritus S. &c. E. Minorem modò è Textu nostro probatam dedimus. Ulterius: Quic, Saulem in omnem pietatem duxit, ille est ὁφιστάμενον intelligens, Atqui Spiritus S. &c. Major constat ex Philosophorum Canone, quod actiones sint suppositorum & personarum. Vide *Scherzeri Systema p. 76.* Minor ulteriori jam probatione non indiget, cum superius ostensum sit, quod variis peccatis se contaminaverit Saul post boni Spiritus recessum, quibus eum antea infamem fuisse minùs legimus. Certum proinde est, quod in nostro asseruimus Porismate, Spiritum S. non Deum modò esse, sed propriam quoque habere Personalitatem. Prolixius has doctrinas deducunt *Carpovius Isa-*